

Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM PHILOSOPHICAM  
DE  
EXCOLENDO  
STUDIO ŒCONOMICO  
TAM PRINCIPUM  
QUAM PRIVATORUM,

SIVE  
Von Verbesserung der Haushaltungs-Wissenschaft  
so wohl derer Fürsten als anderer Leute.

CONSENSU  
INCLUTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
MODESTO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
P R Æ S E S  
JULIUS BERNHARDUS de ROHR,  
EQ. MISN.

RESPONDENTE  
JOHANNE CHRISTOPHORO BUCHNERO,  
GEITHAYN. MISN.

DIE XII. MARTII M. D. CC. XII.  
H. L. Q. C.

L I P S I Æ,  
LITERIS IMMANUELIS TITII.

a. XCVIII. 63.

St

Coll. diss. A  
98, 63

INSTITUTIONE THEOLOGICA

EXCERPTO

STUDIO ECONOMICO

TAM PRIMICIAM

QUAM PRIVATIAM

DE REBUS PUBLICIS

ET DOMESTICIS

COMPARANDIS

INSTITUTIO THEOLOGICA



MODERATA EXAMINE SPECTAT

ANNO 1773

ILLIUS BEATISSIMO

JOHANNI CHRISTOPHO

DE THEOLOGICA

1773. 1. 1.

1773



F. F.



Quando indulgente Amplissimo Philosophorum, in hac Alma, Senatu, actum disputatorium moderandi causa, Cathedram Superiorem conscendere aggredior, submittit se exâmini tuo, Lector Benevole, Dissertatio, consilia quædam supeditans, quâ ratione Studium Oeconomicum excolendum sit. Cum vero autores in scriptorum suorum præfationibus plerumque commemorent, quibus inducti rationibus, hanc materiam, præ alia elegerint, & Tibi paucis mei instituti causas indicabo. Existimo, in conficiendo scripto, tria in primis attendenda esse, nimirum, ut thema sumatur, cujus studio quis tenetur, deinde, quod utile omnino sit & conducibile, sed quod tamen nimis tritum & vile existimari haud possit. Ni enim thema

A 2

ela-

elaborandum Te gratâ quâdam delectatione afficiat, næ Tu materiam utilissimam obiter & superficialiter pertractabis. Quod si animum ad inutile applices studium, inanem laborem suscipis, quippe cum nostræ, vel proximi salutis promotio, cunctarum actionum nostrarum scopus esse debeat. Sin autem in materia, quæ ab aliis jam sufficienter tradita est, occuperis, eruditorum contemptui Te reddes expositum. Tria hæc ad præsens institutum applicaturus, haud possum inficiari, mirifice nobilissimo Studio Oeconomico me delectari, per quod non solam rusticorum Oeconomicam intelligo, utpote qui tantum partes quasdam Oeconomix, eâ ratione, quâ à majoribus suis addidicere, tractant, nec magnopere solliciti sunt, quibus modis unum aut alterum tentari, emendari, aut excoli possit; sed illud Studium Oeconomicum, quod cum Physico & Mathematico conjunctum est, cum absque utriusque illius auxilio non adeo magni progressus in doctrina domestica possint fieri, nec salus regionis multum promoveri, quemadmodum hoc passim in Dissertatione nostra ostendetur. Magni momenti, magnæque utilitatis hanc esse materiam, inde con-

con-

constat, quod, si cætera sint paria, Principis, regionis, imo cujusque hominis felicitas ex hoc studio pendeat. Minime vero vel obsoletam, vel exhaustam eam esse, hinc abunde constat, quod tam ab antiquis, quam recentioribus Philosophis propemodum neglecta fuerit Oeconomica. Ego minimum recordari nequeo, me ullum vidisse scriptorem, qui ad omnia hæc, quæ jam proferre annitor, perinde respexerit. Hæ sunt potissimæ rationes, quæ me ad Dissertationis hujus elaborationem impulerunt. Jam, Mi Lector, dubium quoddam, Tibi forte subnatum, eximam. Cogitabis, qui fieri potest, ut juvenis, qui modo studia sua in Academia absolvit, nec res ad Principis cameram pertinentes unquam tractavit, neque ipse rei domesticæ hæctenus præfuit, consilia posset suppeditare, de excolendo Studio Oeconomico? Ast auguror, illum, qui Studio quodam oblectatur, è conversatione, librorum lectione, ac propriâ meditatione non plane spernenda consilia interdum posse subministrare, etiam-

si in Praxi non adeo exercitatus sit. Inquis, cui bono talia scribuntur, quæ partim nota, partim surdis narrabuntur? Ast regero, perinde concludi, ac si dicas, Ministros Ecclesiarum, una cum aliis superfedere posse labore proponendi moralia, cum talia plurimis jam nota sint, & paucissimi observent. Sufficit, licere periclitari vires, in quocunque honesto instituto, quod si non omnibus, tamen aliquibus, quod speramus, forte placuerit. Quicquid vero eveniat, nobis satis est, quod conferre potius in rem humanæ vitæ utilissimam, cogitationes nostras maluerimus, quam in otiosas & infructuosas speculationes. Quid multa? demonstrare volui qualecunque desiderium, aliquid ad proximi emolumentum contribuendi, præsertim autem affectum, quo Studia Oeconomica prosequor. Si errores in illo deprehendes, L. B. scias, esse nos homines, & propterea errori, nemine excepto, obnoxios, nec me ab ambitione abripi, ut censeam, absolutum esse scriptum, opusculum hocce. Absit, sed meræ  
cogi-

cogitationes & conjecturæ sunt, quæ sobriæ eruditorum disquisitioni subjiciuntur. Libros, quibus in hac Dissertatione usus sum, fideliter allegavi, ubi nulla allegata reperies, illa ex propria profluxere meditatione. Ultimum vero monitum, cum proposito nostro viderem esse convenientissimum, ex libro Baronis de Schröder, quem appellat Fürstl. Schatz- und Rent-Cammer deprompsi. Si insigni librorum multitudine instructus fuisssem, aut si autoritas magis, quam ratio attendenda esset, majori citatorum librorum numero superbirem. Si Tibi hæc nostra placent, magnopere lætor, sin displicent, id me solabitur, negatum esse mortalibus, scripta conficere, quæ omnibus se probent. Vale, mi Lector, si potes, & fave, si vis.

§. I. Cum

## §. I.



Um non existimem, terminos in rubro occurrentes obscuritate laborare, missis illis, quæ de eorum Etymologia, Homonymia & Synonymia dici possent, ad rem ipsam potius me accingam. Est Studium Oeconomicum scientia practica, docens, quomodo opes honeste acquiri, acquisite vero rite conservari possint, ad promovendam felicitatem domesticam. Appello scientiam, quoniam existimo, & in Oeconomica principia dari, ex quibus conclusiones deducere, deductasque ad Praxin dextre applicare liceat. Illis vero, qui scientiæ loco, prudentiæ aut artis voces substituent, minime litem movebo, unde, & me promiscue verbis hisce in Dissertatione uti, videbis: Practica est scientia, quoniam non in nuda speculatione, nec intra solos cogitationum limites subsistit, sed in usum convertenda est. Per opes, non solum pecuniam intelligo, sed & cunctas res mobiles & immobiles. Dico honeste, quoniam Studium Oeconomicum, utpote juri naturali superinstruendum, turpe lucrum non attendit, nisi alias quas-cunq; fraudes, quibus quis utitur ad corradendas divitias, Studium Oeconomicum vellet appellare. Felicitas vero domestica, ut finis Studii Oeconomici, consistit in affluentia rerum ad vitam honeste & decore transigendam necessariorum. *Vid. Dom. BUDAEI Philos. Pract. Part. III. Cap. V. Sect. II. §. 2.*

## §. II.

Duabus autem partibus Studium Oeconomicum absolvitur, nempe scientiâ bona acquirendi, & scientiâ bona conservan-



servandi. Haud equidem possum ire inficias, si quis in sensu lato vocem acquirere accipiat, & conservationem sub idea ejus contineri. Si enim res meas tam caute custodiam, ut diuturniori sufficiant usui, nec novas subinde comparare cogar, & nummos, quos erogare debuissim, retineam, omnino hoc mihi in lucrum vertitur, unde natum proverbium: Parsimonia magnum vectigal. Attamen melioris ordinis causa duas hasce partes separabimus. Scientia opes ac bona acquirendi diffusissima est, modusque pro diversa subjecti conditione & statu diversus; aliter enim nobiles, clerici, mercatores, aliter eruditi, artifices &c. opes acquirunt, ita, ut unus homo omnes modos acquirendi solidissime perspectos habere minime possit. Per scientiam conservandi, non solum intelligo, prudentiam omnia tam immobilia quam mobilia conservandi, ædificia, prata, campos, sylvas, vineas &c. ne deterioris fiant conditionis, morbos a pecude arcendi, cœterarumque rerum mobilium curam habendi, ne amittantur, aut aliquid detrimenti accipiant, sed & prudentiam pecuniam dispensandi. *Celeberrimus MORHOFIUS in Polyhist. Tom. III. Lib. III. §. 2. Conservatio (inquit) domesticarum opum per prudentem administrationem, fundamentum est omnis artis œconomicae & chrematisticae.*

## §. III.

Cum tam Principes, quam privati, duarum harum partium rationem habere debeant, recte dispescitur in Oeconomicam Principum & Privatorum. Per Principes intelligo omnes illos, qui superioritate territoriali gaudent, & territoria sua ita regunt, ut eorum actus ex ea potestate profluentes ab aliis non possint reddi irriti, aut eorum nomine ratio postulari. Et hanc definitio, quod sit scientia, non so-

B

lum

lum suas opes recte administrandi, sed & subditorum suorum facultates augendi. Cum Principes, si à quibusdam bonis, quæ Domaniale vocant, (*Cammer-Güter*) discesseris, ferme nihil habeant, nisi, quæ à subditis accipiunt, sequitur, quod felicitas domestica subditorum suorum Principibus curæ cordique esse debeat. Reliquos omnes, cujuscunque status sint aut conditionis, qui suæ Oeconomix solum prospiciunt, privatos appello, & licet quidam ex his, ut Nobiles &c. etiam subditos habeant, cum tamen hi ob deficientem auctoritatem pauca ad augendas subditorum facultates cum effectu ordinare possint, tertiam speciem constituere nolo. Si animus mihi esset, entia præter necessitatem multiplicare, pro diversitate ordinum, in quos homines divisi sunt, subdivisiones diversas possem construere. At cum videam, definitionem nostram Studii Oeconomici ad omnes commode posse applicari, consulto tale quid omittimus. Quilibet enim mortalium, acquisitioni & conservationi bonorum studet, sive familiam & immobilia habeat, nec ne, & sic Oeconomiam habet, quam ipsam definitio, per rerum suarum dispositionem, consistentem in honesta acquisitione & conservatione. Interim non negandum, pro multitudine vel qualitate bonorum, rei familiaris administrationem vel ampliorem esse, vel arctiorem.

## §. IV.

Licet Studium Oeconomicum magnæ sit utilitatis, dolendum tamen, hætenus ab eruditis tam neglectum ac frigide tractatum esse. Quamvis enim ARISTOTELES, XENOPHON, CATO, VARRO, COLUMELLA, PALLADIUS &c. quædam de Oeconomia scripserint, haud tamen operæ fecerunt pretium, duo priores enim rem domesticam digito saltem attingentes, generalia proposuerunt, quæ ferme cuivis per

per

per se nota, posteriores autem, partes saltem quasdam doctrinæ domesticæ, easque potius Physice, quam Oeconomice pertractarunt, & præterea confuse etiam & sine ordine scripta sua compilarunt, ita, ut parum ex illorum libris profeceris. Mirandum sane, quod percurrendo STANLEJI theatrum Philosophorum, qui singulari cum industria vitas ac scripta illorum collegit, in tam insigni multitudine ultra tres aut quatuor haud reperias, qui quædam de re domesticâ commentati sint, cum tamen quidam ex eorum numero parum utilia consignerint scripta. Plura hac de re possem disserere, si instituti ratio permetteret. Sed fortassis magis commode hæc in Historia nostra Oeconomica dicentur. Apud recentiores autem Philosophos nobilissima scientia rei domesticæ ita deserta jacuit, ut MORHOFIUS ultra duos aut tres non recenseat, qui scripta Oeconomica ediderunt. Illi enim, qui Philosophica scribunt, utilissimam hanc Philosophiæ partem, rarissime reliquis disciplinis attexunt, aut id facientes tantum generalia proferunt, aut multa de mariti, uxoris, liberorum, servorum &c. officiis commentantur, quæ rem minime tamen absolvunt.

## §. V.

Quo vero ostendam, complures doctrinâ insignes viros sententiæ meæ subscribere, quod nempe scientia Oeconomica parum exulta jaceat, illiusque neglectum dolere, in sequentibus loca quædam ex illorum scriptis ad hunc finem adducam. ANONYMUS quidam Nobilis dicit in libro, quem appellat Fürstl. Macht-Kunst Cap. I. §. 4. Ob gleich von der Wissenschaft reich zu werden, viel Bücher geschrieben sind, so ist doch diese Wissenschaft niemals recht als eine *disciplina practica tractiret* worden, wäre solches geschehen, oder geschähe noch, es solte besser um unser Vaterland

stehen, denn was davon geschrieben, ist *confuse* ohne rechte *Principia* und *Fundamente* vorgetragen, also daß der Leser der Bücher überdrüssig wird. MORHOFIUS Celeberrimus in *Polyhist.* Tom III. Lib. III. §. 1. *neglectum doctrinae domesticae hisce verbis dolet. Et Oeconomica pertinent ad Practicam Philosophiam, estque sane dolendum, adeo jacere hanc partem, & frigide tractari, quae tamen fundamentum sternit omni Republicae, & nervum rerum gerendarum suppeditat. Tradita sunt hujus disciplinae principia generalissima tantum, specialia nemo diligenter satis detexit. Cum enim secretiora hujus doctrinae, viris illiteratis magis quam literatis cognita sint, illi vero tantum abest, ut publicata haec velint, ut potius omni studio celent, pauca sunt, quae de iis in vulgus promanant, ac quemadmodum in Politicis arcana quaedam sunt status, ita in Oeconomicis ac Commercialibus occulta quaedam sunt, quae ab ipsis gentibus nonnunquam summo studio celantur, si sint talia, quae ad amplificandas universitatis opes spectant. Privati etiam non facile alios scire patiuntur, ex quibus lucrum captare possunt. Dominus BECMANNUS, Clariss. Professor Francofurtensis in *Pol. Parall.* Cap. I. §. 3. Oeconomica autem (inquit) ferme tota adhuc deserta jacuit, cujus rationem reddit NAUDÆUS, quia res ista minus arte valet, quam usu & experientia, circumstantiisque rerum, temporum & actionum particularibus, quas in artem vel methodum vix possibile sit redigere, maxime cum viri docti & librorum scriptioni incumbentes earum ferme rerum omnium ignari deprehendantur, illi vero, qui frequenti exercitatione secreta Oeconomica peritissime callent, Patres familias, mercatores & similes apti non sunt, quicquam de illis scripto comprehendere. Plura loca hic possem adducere, si instituti ferret ratio.*

## §. VI.

Jam paucis inquiremus, quare eruditi prudentiam Oeconomico-

cono-

conomicam hactenus non excoluerint, hasque, quas adducam, quibusque jam breviter respondebo, potissimum existimo esse rationes. Primo studium hoc non pauci nimis vile censent, cum illud, quod & rustici norunt, consignare, ac apud opuliones, venatores &c. imo mulierculas quaedam discere oporteret. Huc pertinent, *quæ* D. JOH. GEORG. DOEHLER *in suo Tractatu von Untersuchung des heut zu Tage überhand nehmenden Geld- und Nahrungs-Mangels in septimo monito profert*: Um die Oeconomie will sich gemeiniglich niemand eher bekümmern, als bis er selbst ein Haus-Vater werden, und Hand anlegen soll, daher es fast von allen heißt: *Peccando discunt*, mit Schaden werden sie klug. Man hält die Haushaltung vor etwas geringes und unanständiges, ja gar vor ein Werk, das denen Verwaltern, Pächtern und dergleichen Leuten zukömmt. Ast quis prudentior probabit hanc consequentiam? Rustici aliique ex plebe isthæc norunt, ergo eruditos ista intelligere ac addiscere dedecet. Idem est, ac si docti lectionem & scripturam velent adspernari, quoniam infimi ex plebe hisce elementis assvescant. Ego sic potius argumentarer: Quæcunque rustici, mulieres, aliique ex infima plebe habent cognita, illa literatos ignorare pudeat. Dedecet enim eruditum, ipsum in harum rerum notitia ab illiteratis superari, quod sæpius tamen fieri solet. *Hinc vero omnis fundi Philosophici est calamitas, dum de rerum natura securi, secundum rationis perversæ ἔδωλα philosophamur, ac nihil in communem utilitatem afferre possumus ex inanibus ingenii speculationibus, unde fit sæpe, ut rustici, nautæ, metalli fossores, ac mechanici artifices promptius rerum causas subministrent, quas subministrare nequeunt cathedrarii illi Philosophi. Indignum vero est Philosopho, e à parte superari à vilissimis hominibus, Verba sunt MOR-*

HOFII, *quæ proponit in Polyb. Tom. III. Lib. II. §. 4.* Quin imo doctus, brevi tempore Physicæ & Matheſeos ope, ampliores multo progressus poteſt facere in doctrina domestica, quam rusticus per totum vitæ spatium, ut ita scientia eruditi Oeconomica, rusticorum cognitionem longe superaret. Et præterea eruditi ab ejusmodi hominibus multum addiscere valent, quæ ipsis in Physicis magno possunt esse adjumento. *Clarissimus* CHRISTIANUS FRANCISCUS PAULLINI inquit *in Præfatione* der kleinen Bauern-Physica: Wie manche schöne Karitäten und Wunderwerck Gottes und der Natur würden die Herren *Curiosi* wissen, wenn sie nur öffters in die Bauern-Schule giengen, und von den guten Karst-Hansen und Pferch-Meistern ein und anders vorher erforschten und lernten, welches ich mich nie gescheuet habe zu thun, solches auch hiermit öffentlich bekenne. Et MORHOFIUS *in Polyhist. Tom. II. Cap. I. §. 4.* *Cum pulcherrimum suum opus scriberet de fermentatione* THOMAS WALLISIUS, *plus didicit è cellis vinariis & cerevisiariis, quam è scriptis Philosophorum.* *Vulgare enim opus fermentationis est, & tamen maximi usus, & hac in re experimenta muliercularum & coquorum nobis magno erunt usui. Nemo enim inter illos est, qui non singulare quid observaverit circa artem suam, vel casu, vel aliquà etiam ratione. Unde sagacior Philosophus depromere potest, quæ sunt in rem suam, universalia scilicet axiomata formare, è quibus ducat similia experimenta.* Et tandem eruditus non omnia doctrinam domesticam respicientia à rusticis & mulierculis, sed & à mercatoribus, artificibus, Consiliariis cameræ, uti etiam ex libris, propriâque meditatione multa poteſt addiscere.

## §. VII.

Secundo scientiam Oeconomicam aliqui ita existimant faci-

facilem & expeditam, ut brevi temporis spatio addisci possit, p̄tiantque, si fortunæ ratio exigat, ut rei familiaris & domesticæ subire curam cogantur, brevi tempore & nullo negotio, quæ ad hunc finem essent necessaria, sese discituros, quin imò etiam talia, quæ rustici aut inferioris sortis homines operantur, sine doctrina effecturos, unde tot dispendia, nataque nimium tenuis supellex apud magnam partem eruditorum. Ita sentientibus respondeo: eruditos scientiam Oeconomicam ita facilem existimantes, ut brevi temporis spatio addisci possit, longâ errare viâ. Tantum enim abest, ut scientia Oeconomica brevi comprehendi possit, ut potius impossibile sit, quenquam omnes acquirendi & conservandi modos solidissime posse habere perspectos, & eruditi, inquentes, se doctrinâ domesticam posse addiscere, quando rem familiarem administrarent, non distincte satis concipiunt, quid Oeconomia sit, dum sibi forte persvadent, hanc esse saltem Oeconomiam, quando quis uxorem, liberos & servos regit, vel immobilia possidet, cum tamen supra ostenderim, quemvis hominem etiam cœlibem rem familiarem administrare, in eo saltem est differentia, quod pro diversa personarum conditione & statu modi acquirendi & res conservandæ diversæ sint. Cumque non semper adsit occasio, peritos Oeconomicæ interrogandi, plurima etiam invidiâ celentur, aut cum damno addiscantur, nec honori sit, Oeconomicæ partes in ipsarum administratione tandem addiscere, melius est, illarum rerum, quas aliquis sibi necessarias fore credet, antea acquirere notitiam.

## §. VIII.

Tertio existimant, ita jam excultam esse, ut nihil ferme addi possit. Sed inanis horum est persuasio, falsissimumque præjudicium. Nam, quemadmodum nulla scientia ad summam perfectionis cacumen, ad quod eniti potest, adhuc pervenit,

venit, ita nec Studium Oeconomicum. Si hoc ita se haberet, melius nobiscum ageretur, nec tot loca deserta & inculta viderentur. Quis cuncta utilia in plantandis germinibus exoticis tentavit, ne loquar de aliis. Veram autem & genuinam rationem, quod scientia Oeconomica tot inventis ac aliæ disciplinæ minus locupletata fuerit, hanc esse arbitror. Illi, qui doctrinæ domesticæ periti sunt, rarissime studia Physica & Mathematica callent, & propterea non ita facile nova detegere ac invenire valent, sed a majoribus acta ipsis plerumque agenda sunt. Qui vero Physicæ & Matheos notitiam habent, rarissime ad prudentiam Oeconomicam animum applicant, ac sine horum studiorum auxilio impossibile est, quæquam doctrinam domesticam solidissime posse excolere, prout doctissimus Eques de TSCHIRNAUS *in sua medicina mentis* pluribus in locis monuit.

## §. IX.

Quarto dicunt, nullam ipsis esse occasionem Oeconomicam addiscendi, plerumque se morari in urbibus, & rarissime ruri. Sed hoc profluit ex falsa Oeconomicæ idea, cum quosdam modos ex agris, re pecuaria &c. quid acquirendi pro tota Oeconomica habeant, ac si vero in civitatibus etiam non adsit occasio quosdam acquirendi ac conservandi modos addiscere. Cum propositum ipsis sit, animum ad doctrinam domesticam appellere, ope vivorum & mortuorum Præceptorum, meditatione ac exercitatione, quosdam modos res acquirendi ac conservandi, ut doctrinæ domesticæ partes, & in urbibus possunt cognoscere. Etsi non exquisitam acquirant scientiam, præstat tamen quædam, quam nihil scire. Hæ sunt fere rationes, quas partim ex libris, partim ex eruditorum conversatione hausit, à quibus seducti eruditi, scientiam Oeconomicam neglexerint. Turpe omnino est, quod cum  
hodie



hodie eruditi cunctas exascent scientias, de utilissimæ hujus scientiæ cultura minus sint solliciti.

§. X.

Enimvero sufficient hęc. Potius accessum faciam ad monita & consilia, per quæ Oeconomica cultior reddi possit & perfectior. Cæterum existimo, me nihil in illis proposuisse, quod non possit in usum deduci, alia etiam pleraque, quæ de hac re dici possunt, huc referri posse. Quod si vero quid omissum inveniatur, sciendum, oculos plus videre, quam oculum, & plura capita meditando plus valere, quam unum.

§. XI.

Primum vero consilium hoc erit: Ut Principes à teneris ungviculis ad Oeconomicarum rerum tractationem præparentur. Hoc ut caput ac fundamentum, quo sequentia consilia innituntur, loco primo ponere volui. Si enim Principi Studium Oeconomicum volupe & cordi fuerit, operam dabit, quo bona consilia promoveantur, & executioni mandentur, ipsemet suæ & subditorum Oeconomix curam habeat, ac, ut brevis sim, allaborabit, quo subditorum facultates augeat, sibi vero sine subditorum detrimento divitias & potentiam procuret. Ni vero ipse Princeps doctrinæ domesticæ studiosus fuerit, optima consilia locupletationem subditorum respicientia, magnam partem frustranea erunt & irrita. Non vero sufficit dixisse, Scientiam Oeconomicam Principi debere esse oblectamento, sed & ostendendum mihi est, quâ facilitate ista Principi posset tradi, quo lubentius animum ad eam applicet. Quod ad Principem adultum, aliisque rebus jam deditum & assuetum spectat, hunc, etiamsi validissimis ac firmissimis rationibus utilitatem Studii Oeconomici ipsi commendes, non ita facile tamen ad id flecti posse, existimo. Ab incunabilis enim venationi, exercitiis equestribus, aliisque, quæ

quæ sensus reficiunt, unice assuefactus, ægerrime ab hisce rebus avelli, ac ad domesticarum rerum severiorem tractationem incitari poterit.

## §. XII.

Quapropter potius declarabo, quomodo à teneris annis Principes doctrinâ domesticâ imbui & innutrirî possint. Ante omnia Ephori Principem juventutis jugiter moneant, quam hoc studium sit utilissimum, ac quantopere felicitas regionis, cæteris paribus, ex eodem pendeat. Pariter, quo major Principis in hoc studio sit notitia, eo majorem, si & aliis cognitu necessariis instructus sit, acquisiturum potentiam, majoresque capturum divitias. Sive ad avaritiam, sive ambitionem, sive ad voluptatem proclivior sit Princeps, Ephorus habebit ansam, vel temperamenti occasione, ipsum ad domesticæ doctrinæ tractationem adhortandi. Non minus accurate instruat Principem Ephorus, non alio modo Imperantes facile posse ditescere, quam si studeant subditorum suorum facultates augere, quod illustrabitur Simili, desumpto à fontibus, si scaturigo novas advehit, semper aquas suppetere, sin vero rivulis, unde suppleri debeant, careant, aut meatus illorum, impedimentis objectis, intercludantur, brevi esse exarituros. Porro svasor essem, ut Principi distincte & celeriter, summa principia Physicæ, Chymicæ, Docimasticæ, ut & Arithmeticæ, Geometriæ, Architecturæ civilis, & imprimis utilissimæ Mechanicæ traderentur, dum non solum horum studiorum ope in Studio Oeconomico ampliores progressus potest facere, quam si hæc studia ignoraverit, sed & ipsum ad scientiam domesticam incitabunt, atque idoneum facient ad judicium de aliorum consiliis, status domestici emendationem respicientibus, accuratius ferendum. Clarissimus WAGENSEILIUS multis verbis Principi

cipi

cipi suo juveni, quem instruere vult, Physicæ ac Matheſeos utilitatem apprime commendat in libro, cui titulus eſt: *Belehrung eines Prinzen, ſo vor dem Studieren einen Abſcheu hat.*

## §. XIII.

Et optarem, ut Principibus hiſce junioribus Muſeum Oeconomico-Phyſico-Mechanicum adornaretur, in quo præcipua genera lapidum, lignorum, florum, herbarum, &c. ſimulacra (*Modelle*) instrumentorum, quibus opifices utuntur, machinarum, quæ in vita communi uſum præſtant, imo cuncta in commercio occurrentia eſſent recondita, eo modo, quo Dominus SEMLERUS, Archidiaconus ad ædem St. Ulrici, quæ Halæ Saxonicæ eſt, meritiffimus, in ſuo utiliffimo libro, quem ſcholam Mechanicam appellat, aut Dominus MARPERGER in libro, cui titulus eſt: *Rauſſmanns-Magazin*, propoſuit. In hoc Muſeo Princeps juvenis per unius horæ ſpatium quotidie eſſet informandus; & à viro talium rerum perito edocendus, quâ ratione unaquæque res creſcat, plantetur, proveniat aut producat, quæ illarum ſint differentiæ, pretia, vitia & virtutes, uſusque, quem in vita communi præſtant, quid reſpectu commerciorum in hiſce obſervandum ſit, ad damnum avertendum, lucrum vero captandum, quin imo ſumma & utiliffima capita aliarum rerum commercia reſpicientium, ut vectigalium, operum manufactorum, hæc occaſione proponi poſſunt. Supra indicatus Liber MARPERGERI, cum vir ſit commerciorum peritiffimus, & experienciâ duce, ſcriptum hoc conficere potuerit, utiliffimum ad hunc finem foret opus, in primis ſi plenius ederetur. Non arbitror, ſtudium hoc Principe indignum fore. Cum enim diverſi Reges ac Principes mercaturam exercuerint, vid. Monsieur de la MOTHE le VAYER *in ſuo tractatu*

*de la marchandise* p. 283. ac artes & opificia addidicerint, haud perspicere valeo, quare Principis characteri adversaretur, si generali harum rerum notitiâ, quantum satis, esset tinctus. Maxime fructuosus autem foret hic labor, non enim Principes fraudibus Ministrorum suorum ac mercatorum expositi essent, qui immodicis rerum venalium pretiis Principibus interdum callide imponunt; & examinare etiam valerent, quâ ratione commercia in regionibus promoveri possent.

Derowegen, Prinz, gebet fleißig acht, wenn etwas gekauft wird, was man dafür zahle, erkundiget euch bey andern, so oft es seyn kan, wie sie ihre Sachen eingehandelt, damit ihr verstehet, was im kauffen gäng, geb und billich ist / außer dem Verlust, den ein unberichteter Käuffer leidet, träget er so wohl von andern, als von dem Verkäuffer selbst Spott und Hohn darvon ꝛc. ꝛc.

Verba sunt Clarissimi WAGENSEILII, quæ in der Beleh- rung eines Prinzen, so vor allem Studieren einen Abscheu hat, p. 134. proponit.

## §. XIV.

Porro Ephorus Studii Oeconomici gnarus, cum Principe sibi commisso provinciam peragret, postquam in specialissima mappa situm regionis consignatum, una cum Principe contemplatus fuerit. Hic Principem assidue doceat, omnia in regione, quantum natura soli permittit, esse excolenda. Quapropter semper ostendat, quâ ratione cultura regionis suscipienda sit, quomodo flumina possint reddi navigabilia, ubi metalla fodi queant, quomodo loca sterilia & deserta ita coli, ut usum præbeant, quæ in commerciis emendari possint, ubi mori ad bombycum nutrimentum plantari, castaneta institui, vel exoticarum rerum plantationes suscipi possent. Uno verbo: cuncta, quæ ad facultates subdito-  
rum

rum augendas pertinent, hac occasione traderet Principi. Optimum etiam foret, si Dynastiæ quædam Principis committerentur administrationi, ut reditus inde caperet, & pro lubitu de illis disponderet, quo in Praxi res domesticas tractare addiscat. Si Pater Princeps videret, parum caute res suas eum dirigere, ut damnum metuendum sit, ostendi Principi posset, quomodo melius res suas ordinare valeret, ut lucrum capiat. Semper autem, & quoties salutaria ipsi proponuntur consilia, rationes subministrari deberent, quo melius menti Principis omnia inhærescerent. Ac non solum erudiendus esset Princeps in modis acquirendi, sed & in modis conservandi, qua ratione frugaliter pecuniæ dispensandæ sint, cum non minor sit virtus, quam quærere, parta tueri, quâque ratione in exigendis tributis subditorum opes conservari possint. Certe cum fructu ita & delectatione summa doctrinæ domesticæ capita addiscet Princeps, ac, procedente tempore, studii cameralis notitiâ instructissimus reddetur. Pius ac doctus Eques VITUS LUDOVICUS de SECKENDORF dicit *in Sect. XXVIII. Cap. VII. des Fürsten-Staats*: Die Fürstlichen Kinder müssen auch die Beschaffenheit einer vernünftigen Haushaltung lernen, wie man dasjenige, was Gott zu jedem Stande, und sonderlich zu dem ihrigen bescheeret, wohl gebrauchen, nützen und erhalten könne. Nobilis quidam Anonymus *Cap. I. S. 5. der Fürstlichen Macht-Kunst*, sic loquitur: de Principe ad commerciorum studium manuducendo. Darum soll ein junger Prinz vor allen Dingen, insonderheit, ehe er zu denen überhäufften Staats-Affairen und der Regierung kommt, zu diesem Studio magnifico, welches ihn einzig und allein zu einem grossen Monarchen machen kan / angeführet werden *ic. ic.* Quâ ratione Wagenseilius, cujus supra fecimus

mentionem, Principi consulat, ut Oeconomicae arti operam det, *vid. in seiner Belehrung eines Prinzen, pag. 129. & seqq.*

## §. XV.

At vero non gravabimur etiam objectionibus, quæ forte moveri possent, respondere. Quidam fortassis dicent, quid opus est, ut Principes Studiis Oeconomicis operam dent, nonne Ministros alunt suos, qui ipsorum loco rebus domesticis præsumt, easdemque curant? Sed si in hac consequentia esset robur, Principes omnium rudes esse, omniaque tam ad cognitionem belli, quam gubernationem Status necessaria ignorare possent, cum Ministros habeant, qui ipsorum loco cuncta illa expediant. Quoniam vero Ministris sæpe propria magis, quam Principis commoda curæ sunt, ipsorumque rebus male præsumt, melius est, ipsum Principem callere, quæ regionis suæ salutem promovent, ne alienis auribus audire, alienisque oculis videre coactus sit. Alii objicient, Principibus alia peragenda esse, quæ ipsis magis fructuosa ac necessaria sint; ast velim scire, quænam ista magis fructuosa ac utilia sint, dum haud mihi persuadere possum, Principem quid utilius addiscere posse, quam suam subditorumque felicitatem promoveri? Alii existimabunt, Studium Oeconomicum nimis vile & Principe indignum esse; ast non valeo perspicere, quomodo vile dici possit, cum Princeps illius auxilio divitias & potentiam acquirat.

## §. XVI.

Secundum consilium est: Ut & alii ad scientiam Oeconomicam incitentur, ac in illa erudiantur. Cum haud sufficiat, Principem delectari prudentiâ Oeconomicâ, ac illius esse peritissimum, sed & officialibus rei domesticæ scientiâ instructis opus habeat, qui ipsi salutaribus consiliis assistant, ac  
non

non solum Consiliariorum cameræ munera implere, sed & omni modo Oeconomica excolere idonei sint. In sequentibus ostendam, quâ ratione illorum liberi, qui fundos & agros possident, à teneris annis ad scientiam Oeconomicam præparandi sint, cum horum educatio aliis facillime exemplum esse queat. Dum adhuc puerilem ætatem degunt homines, haud multum equidem in Studio Oeconomico proficient, cum in ea ætate puerilibus ludis potius intenti sint; attamen & ludos istos sic disponi vellem, ut ex hisce quoque fructum aliquem caperent, ac ad Studia Oeconomica se accingerent. Quapropter desiderarem, ut inutilium crepundiorum loco, quæ liberi vel inter munuscula natalitia, vel alio tempore à parentibus, aut aliis accipiunt, ipsis diversa machinarum, ædificiorum & instrumentorum in re domestica occurrentium exemplaria (*Modelle*) emerentur, nimirum instrumenta, quæ ad colendos adhibentur agros, instrumenta piscatorum, aucupum, venatorum, quibus utuntur ad capiendos pisces, aves & feras bestias, cuncta illa, quibus hortulani ac vinitores &c. &c. opus habent; Exemplaria ædificiorum, horreorum, stabulorum, diversarum molarum, domuum, in quibus panis & cerevisia coquuntur &c. &c. cuncta ad magnorum instar in parvo efformata. (*nach dem verjüngten Maas-Staffe*) Harum rerum nomina & usus liberis debent explicari. Cum vero infantes & pueri rarissime otiosi queant esse, & timendum sit, ne fastidium ipsis crearetur, si solummodo machinas hasce aspicerent, permittendum ipsis est, ut puerili modo ludentes, instrumentis hisce utantur, ita tamen, ut semper aliquid in scientia Oeconomica proficiant, ac gubernationi alicujus commissi sint, qui curam habeat, ne liberi ista temere frangant, aut corrumpant, cum harum rerum comparatio non nihil sumtuosa sit. Dum quoque infantes adultorum  
facta

facta libenter imitantur, danda est opera, ut, quantum fieri potest, infantes illa, quæ Pater in re domestica operatur, in sua puerili Oeconomia peragant. Sic equis aliisque animalibus ad vivorum instar effictis idem pabulum præbere possunt, eodemque tempore, quo viva accipiunt. Non minus ephippia, phaleras, aliaque ad equorum vel aliorum animalium tractationem necessaria Pater ipsis comparare poterit, quo eadem, quasi vivis animalibus applicent. Porro mensuris ad magnarum instar in parvo efformatis uti possunt, quo alter alteri fruges, lupulum, aliaque in re familiari occurrentia vendat, & hoc secundum rerum pretia, quo à teneris unguiculis illa nosse discant, quod in vita communi utilissimum est. Brevibus: danda est opera, ut, instrumentis suis & machinis ad exiliorem formam effiguratis, cuncta, quæ in re domestica occurrere solent, quantum circumstantiæ patiuntur, peragant.

## §. XVII.

Rerum harum recensitionem levem fortassis, & memoratu indignam quidam habebunt. Ast arbitror, cuncta, quæ ad liberorum instructionem faciunt, monitu haud inutilia, tempusque hac ratione multo melius collocatum esse, quam si pueri ludis frivolis id perdiderint. Cum autem puerorum ingenia illa ætate ita comparata sint, ut & seria ludendo optime capiant, puerilis mentis imbecillitati condescendendum & aliquid indulgendum erit. Illis vero, qui dicent, pueris, cum adoleverint, scientiam rei domesticæ facili negotio tradi posse, & in hisce annis pueriles ipsis relinquendos esse ludos, respondebo, quod adulti in rei familiaris scientia multo majores possint facere progressus, si aliquem habeant prægustum, quam si ne minimâ imbuti sint notitiâ. Cardinalis autem ratio hæc est, ut & per lusum pueri utilia ad-

ad-



addiscant, quod omnino quoque attendendum est. Cum ingeniosissimus LOCKIUS in suo tractatu de liberorum educatione aliquid de puerorum ludis ipsorumq; crepundiis, pariter Dn. FENELON in libro de filiarum educatione commentati sint, nec, me oleum & operam perdidisse, arbitror, quod de puerorum ludis quædam moneam. Omnino verbis Domini LOCKII, quæ in citato libro p. 279. adduxit, hic uti licet: *Fateor levia hacce esse, quæ fortassis quis prolato indigna judicabit, sed nihil de illis, quæ in liberorum mentibus impressionem facere possunt, negligi aut vilipendi debet.* Dominus DAVID HERMAN. KEMMERICH in Lib. II. Cap. XII. der Academie der Wissenschaften dicit: Die Jugend bekümmert sich zwar mehr um das Spiel und um die Belustigung, als um das Haus-Wesen, und um die Mittel, etwas zu erwerben, so ferne sie nicht ein unvermutheter Zufall in Zeiten zu männlichen Gedanken antreibt, dennoch muß man nicht unterlassen, sie, so bald es möglich, hierzu zu gewöhnen, und vorzubereiten, damit sie auch mitten unter ihren Spielen auff dasjenige acht geben / worauff sie sich dereinst mit Ernst appliciren sollen.

## §. XVIII.

Quando ex ephebis excefferunt, & iudicium paulo maturefcit, tunc ipsas machinas, quarum typos ac exemplaria hætenus habuere, considerent, illisque, qui rem domesticam administrant, quam solum hætenus ludendo tractarunt, præbeant se comites. Cunque agricultura maxime necessaria pars sit Oeconomicae, quia nullus ferme, si à barbaris quibusdam gentibus discesseris, sine frumentis vitam toleret, hinc mature etiam liberi informandi sunt, quâ ratione agri

D

coli

coli debeant, soli diversitas ipsis debet indicari, ac simul explicari, quâ ratione varietas terræ variâ indigeat culturâ, spectare debent, quomodo rura vomere scindenda, semen terræ immittendum, aliique labores rustici peragendi, & semper ostendi ipsis debet, quâ ratione labor peragendus sit, & quomodo à quibusdam vel per malitiam, vel per ignorantiam peccetur, quo de omnibus melius judicare valeant. Porro in equorum, boum, vaccarum emtione, juvenes etiam instrui debent, ut ipsis innotescat, quâ ratione pecudis emtio sine jactura & cum fœnore suscipienda sit, quod maxime in rei domesticæ administratione necessarium est. Insuper in silvarum cultura erudiendi sunt, quo diversa genera lignorum cognoscant, quaque ratione silvæ coli, ac ligna tractari ac vendi debeant. Et sic singuli modi ex immobilibus quid acquirendi ipsis explicari debent. Imo modi res suas conservandi etiam hâc occasione ipsis tradantur. Mit zunehmenden Jahren kan man sie weiter führen / und ihnen etwas von denjenigen Künsten bekant machen, welche zum Unterhalt und Nothdurfft des menschlichen Lebens dienen, wenn man sie selber zusehen läst, wie dieses oder jenes gemacht werde, verba sunt Domini DAVID HERMAN KEMMERICH'S, quæ proponit in der Academie der Wissenschaften, p. 242.

## §. XIX.

Cæterum, collocatâ aliquandiu in istis, quæ hæcenus memoravimus, laudabili industria, svasor essem, ut Pater pro numero aut qualitate bonorum, aut pro sobolis capacitate animique promptitudine, prædia quædam aut agros filio præparato tradat, aut pro certa pecuniæ summa elocet, quo Theoriam Oeconomicæ cum Praxi jungant. Cumque segnitè valde res addiscatur, nisi lucrum inde speretur, reditus, quos

quos ex immobilibus percipient, aut ad minimum certam eorum partem Pater ipsis concedat, quo vestimenta, libros, aliaque necessaria inde sibi comparent, ac Pater cognoscat, quam frugaliter liberi pecuniâ utantur, illique versuram facere tempestive addiscant. D. H. KEMMERICH *in supra allegato libro p. 243.* eo etiam collineat: Damit ein junger Mensch sich desto mehr um das Haus-Wesen bekümmern lerne, würde es gut seyn, wenn der Vater ihn zuweilen in den Haus-Geschäften zu Rathe zöge, und von dem, was vorkäme, seine Meynung sagen ließe, oder auch kleine Sachen ihm zu administriren unter die Hände gäbe, und ihm nachgehends Rechnung davon ablegen ließe, auf solche Weise würde der Sohn von Kindheit auf gleichsam zur oeconomicischen Klugheit gelangen.

## §. XX.

Appropinquante, inter hæc Oeconomica progymnasmata, Academias frequentandi tempore, Juvenes Studiosi in Scholis Doctoris Oeconomicae, de cujus necessitate proxime dicetur, se ulterius in scientia domestica confirmare poterunt. Hic etiam, si ipsis animus est in prudentia Oeconomica insignes progressus faciendi, Physicæ & Mathesi operam dent, in primis vero utilissimam Mechanicam excolant. Spondeo, illum, qui hisce sit imbutus scientiis, mirum in modum in Studio Oeconomico posse progredi, ac maxime idoneum futurum, non solum Principi in augendis facultatibus saluberri-  
ma subministrando consilia, sed & sibi proprios feliciter amplificando redditus. MORHOFIUS *in Polyb. Tom. III. Lib. III. p. 27.* inquit: *Summum erit hoc in Republica arcanum, ut cives sint, quantum fieri potest, rerum naturalium scientes, ac Mathematicamque non perfunctorie tractarint, ex iis veluti duobus quibusdam fontibus, omnes redditus omnesque artes*

*opes congerendi profluunt.* Porro illi, qui solidam Studii Oeconomici cognitionem nancisci volunt, locos communes Oeconomico-Phyfico-Mechanicos, secundum certos titulos concinnatos, faciant, ac in eos cuncta, quæ vel in libris legunt, vel in conversatione accipiunt, aut propria experientia ac meditatio ipsis suggerit, congerant, tali quippe ratione, insigni multarum rerum utilium copiâ instruentur.

## §. XXI.

Præterea, absolutis in Academia Studiis Oeconomicis, quamprimum peregrinas regiones invisere vir juvenis secum constituit, non cesset, quin in itinere Studium Oeconomicum quotidie magis excolat, & cuncta huc facientia probe notet, quo in Patriam redux, ea, quæ in itinere observavit, in ejusdem usus vertere possit. Diligenter inquiret, quænam commerciorum & operum manufactorum ratio sit in hac vel illa regione, inprimis vero scrutetur, quomodo commercia exotica cum commerciis Patriæ queant conciliari, & quantum natale solum eorum capax sit. Molæ aliæque machinæ, quarum extantior aliquis usus est, delineandæ sunt in itinere, ut ad earum modum in Patria aliquæ exstrui possint. Cunctas monetarum, mensurarum ac ponderum species sibi familiares reddat, uno verbo: quævis utilia in Oeconomicis, Phyficis & Mechanicis consignet, hunc in finem, ut in Patriæ rebus & negotiationibus utiliter aliquando adhibeantur. Omnium illorum, qui in studiis hisce excellunt, ambiat amicitiam, ubi quis inprimis in monasteriis Pontificiorum varia singularia in cultura vegetabilium reperiet, ac plurima hac in re addiscet artificia, quæ alii ignorant. In Belgio & Anglia multum in rebus commercia respicientibus proficiet; in Germania, Hungaria & Sve-

cia

cia subterraneorum culturam florentiorem animadvertet &c. Quæcunque igitur observabuntur, diligenter sunt notanda, literarum quoque commercium, cum membro cujusdam celebrioris societatis, vel alio harum rerum perito, itinere finito, est instituendum. Quæ, si rite peracta fuerint, omnia, non parum Oeconomicarum rerum Candidatum juvabunt & perficient.

## §. XXII.

Tertium consilium est, ut in Academiis juvenes ad Oeconomica melius præparentur, ne aut suo damno rei domesticæ administrationem addiscant, aut fraudibus illorum, quos domesticis rebus præficiunt, expositi sint. Docens Oeconomicam lectiones suas sic posset partiri, ut unius anni spatio cursum Oeconomicum absolveret, foretque optandum, librum extare, quem Docens Oeconomicam in suis lectionibus illustrare ac explicare posset, in quo prudentiâ domesticâ in formam artis redactâ, ejus partes breviter ac distincte essent propositæ, ita quidem, ut imprimis ad Germaniam nostram respiceretur, ac in unaquaque parte diversitas indicaretur, quâ ratione in hac regione hoc, in illa aliud feliciter procedat. Affirmare autem possum, in tam insigni librorum Oeconomicorum multitudine ne unicum quidem me vidisse, quo quis ad hoc propositum uti posset, dum vel in generalibus nimis morantur, vel ex Jure, ex Sacra Scriptura, ex Aristotele aliisque libris aliena immiscent, aut otiosas speculationes experientiæ contrarias proferunt, aut alias partes nimis diffuse & prolixè tractantes alias omitunt. Interea destitutus ejusmodi libro, sequentem in modum, si ipsi placuerit, & salvo rectius sentientium judicio, scholas suas Oeconomicas eum aperire posse, existimarem.

## §. XXIII.

Brevi Bibliothecâ ac Historiâ Oeconomicâ præmissâ, Oeconomicam Principum & privatorum exponat, & cuncta, quæ uxoris, liberorum, servorum ratione prudentia œconomica dictitat, proferat, non vero in moralibus ac officiorum explicatione nimium moretur, dum Oeconomica nostra hæc non tam doceat, quam præsupponat. Postea tradat diversos modos acquirendi, non solum illos, quos hi, qui Oeconomica hæcenus scripserunt, attigere, ut agrorum, vini, silvarum &c. &c. culturam, rem pecuariam &c. sed & alios, quorum mentionem scriptores Oeconomici non fecerunt, ut commercia, subterraneorum culturam &c. &c. ac de unoquoque tantum dicat, quantum lectione, conversatione, meditatione ac experienciâ assecutus est, dum impossibile sit, aliquem omnia compendia, quæ in singulis acquirendi modis locum habent, exquisite intelligere posse. Modis acquirendi explicatis, se convertat ad modos conservandi tam immobilia, quam mobilia, moneatque, quid in ædificiis observandum, ne à tempestatibus aut alio modo damnum patiantur, in silvis, ne devastentur, aut arbores lædantur, in pratis, ne aquâ inundentur, aut animalia ipsiis damnum afferant, & in rebus mobilibus, per quas & pecuniam & res se moventes quoque intelligo, diversas ostendat regulas, quibus ipsarum amissio aut deterioratio præcaveri possit, quomodo morbi à pecude arcendi, illa, quæ ad victum pertinent, ut vina, cerevisiæ, carnes &c. &c. conservanda, ne corrumpantur. Huc pertinet prudentia pecuniam dispensandi, & regulæ frugalitatis, quâ ratione quis in cibo & potu, in vestitu, in conducendis opificibus, sumtibus parcere possit. Cum vero omnis res domestica administrari sine pecunia

nia

nia non possit, ac illius acquisitio Oeconomiae scopus sit, necesse est, ut in fine Collegii is, qui docet Oeconomiam, cunctas monetarum in Europa usitatarum species auditoribus suis ostendat, omniaque huc pertinentia & scitu necessaria proferat, utpote quod in commercio humano apprime est necessarium, cum saepius quis, nisi monetarum species probe habeat perspectas, jacturam patiatur. Dominus LUDWIG, Professor in Academia Halensi meritissimus in der Einleitung zu dem teutschen Münz-Wesen mittlerer Zeiten p. 249. his utitur verbis: Zur Professione Oeconomica müste man billig die Kundschaft des Geldes, so wohl dem äußerlichen als innerlichen Werth nach, ziehen, bey welcher Unwissenheit wir den Juden in die Hände sehen, und Verlust und Betrug darüber leiden müssen.

## §. XXIV.

Liceat nunc paucis momenta attingere, propter quae diligens cultura Oeconomicae in Academiis suscipienda sit, ne absque ratione mea protulisse videar. Nimirum secum reputet aliquis, Comites, Barones ac Nobiles, qui studiorum gratia in Academiis morantur, plerumque immobilia possidere, Theologiae Cultores saepius ad Parochias vocari, quibus agricultura annexa est, Jurisperitos sine cognitione rei domesticae in pronunciando ac dirimendis rusticorum negotiis saepius hallucinari, Medicisque hanc scientiam in Studio Physico adjumento esse, sicut supra audivimus: & sane lubens mecum fatebitur, Studium Oeconomicum apprime necessarium esse atque utile. Adde, quod Cultura Oeconomicae ipsi Principi utilis sit, illi enim, qui postea ad consiliariorum munera vocantur, de Regalibus Principum ac negotiis statum domesticum regionis respicientibus multo accuratius judicare va-

re va-

re valebunt, si Oeconomiae cognitionem habeant, ut & illi, qui Camerae aliquando praeficientur, multo melius officiis suis fungi poterunt, si tempestive circa rem Oeconomicam varia consilia, culturam regionis respicientia, audiverint. Etenim, jacto ita commodo fundamento, facilius animadvertent, quae in Praxi valeant, nec ne, quâ ratione itidem quaedam augeri possint.

## §. XXV.

At vero objecerit quis. Fieri haudquaquam posse, ut in Collegiis Oeconomicis regulæ atque canones artis rerum gerendarum apte tradantur, dum plurima ab usu & experientia pendeant. Verum ego quidem non valeo perspicere, quare non in Studio Oeconomico regulæ tradi possint, æque ac in aliis studiis. Nil enim in re domestica casu perago, sed rationes habeo, quare quid faciam, & priusquam rem peragam & ad usum deducam, sciendum mihi est, quando ac quomodo rem tractare debeam? Hinc enascitur regula, quam aliis tradere possum, & præterea usu ac experientia acquirere regulas & observationes, quas aliis subministrare valeo. Cumque talis ad docendam Oeconomicam sit vocandus, qui usu & experientia firmatus sit, illa, quæ usus ipsum docuit, aliis rursus communicare potest. Hoc quidem largior, quod si quis ad Praxin in Studio Oeconomico tendat, is deinde multas regularum exceptiones, limitationes & restrictiones reperturus sit, sed hoc non impedit, quo minus in unaquaque Oeconomica parte summa possint in Academia proponi capita. Si magna in prudentia domestica volumina conscribi possunt, & in illis ea, quæ experientia docuit, annotari, quidni eadem dogmata auditoribus in Collegiis communicari poterunt? Et hæ sunt fere rationes, quæ me impellunt,

lunt,



lunt, ut à sententia Clarissimi STRUVII, cum ejus pace discedam, quam in *Bibliotheca Philosophica* p. 201. hisce verbis proponit: *Cum saniores vero perspicerent, Oeconomicam non tam regulis addisci, quam usu & experientiâ, igitur in Academiis illam amplius non tractarunt.*

## §. XXVI.

Porro si objicias: possibile haud esse, in Collegio Oeconomico scientiam rei domesticæ ita proponi, ut tales regulæ ac præcepta ad singulas possint applicari provincias, dum negotia Oeconomica in altera regione hoc, in alia vero longe alio modo tractentur: responderem, haud opus esse, ut docens Oeconomicam in scholis suis Oeconomicis scientiam rei domesticæ proponat, quemadmodum in Asia, Africa & America administranda sit, nec quænam illius ratio sit in omnibus Europæ Provinciis, sed, cum solum de Academiis Germaniæ hæc velim intelligi, plerique etiam Studiosi Germani sint, exponatur his saltem, quænam illius ratio in Germania sit. Et, si Professor in unaquaque parte Juris discrepantiam, quæ in diversis Provinciis Germaniæ, ut Suevia, Franconia &c. obtinet, ostendere potest, nihil impedit, quo minus Oeconomicam tradens in partibus doctrinæ domesticæ, quas pertractat, diversum administrationis modum pro diversitate provinciarum indicare possit. Ita omnes Germani cum fructu scholas tales frequentare possent. Ipsæ vero diversitates illæ vel ex libris caperentur, dum Austriacos, Silesiacos, Saxonicos &c. libros Oeconomicos habemus; & credo, quod ferme uniuscujusque in Germania Provinciæ administratio, domestica saltem, utcunque descripta extet. Cum etiam libri, ut postea dicetur, sæpius fallant, nec semper tuta fides illis haberi queat, huic defectui vel peregrinando, vel literarum commercio cum rei domesticæ peritis & candidis viris consulatur.

E

Et

Et præterea, etiam si Oeconomicam explicans hanc diversitatem in suis Collegiis haud indicaret, solummodo per omnem cursum Oeconomicum fideliter exponendo, quâ ratione res domestica in una provincia e. g. Saxonia gerenda sit, opinor tamen, illum, qui callet, quâ ratione res domestica in una regione tractetur, vel unius anni spatio idoneum futurum, ut modum administrandæ rei domesticæ, quemadmodum in alia provincia usitatus est, facile addiscat. In plerisque enim momenti manet immutata rei domesticæ administratio, solæque monetæ, mensuræ, aliæque leves circumstantiæ, quæ facile notari possunt, diversitatem efficiunt.

## §. XXVII.

Exceperint ulterius alii: Quid opus sit, ut scholæ Oeconomicæ aperiantur, cum complures editi sint libri, è quibus scientiam rei domesticæ sedulus quisque ejus cultor valeat addiscere? Sed respondeo: quare lectiones Theologicæ frequentantur, cum mole laboremus librorum, è quibus Theologia hauriri? quare Studiosi collegiis Juridicis interfunt, cum ex libris jus addisci possit? quod ipsum ita cum reliquis Disciplinis comparatum est. Sed jam ostendam, primo, quare è libris Oeconomicis non eadem scientia hauriri possit, qualis è Collegio Oeconomico percipitur, postea vero exponam, quâ ratione quis libris Oeconomicis uti valeat. Complures libros hac de materia conscriptos esse, me non latet, eosque fortassis brevi tempore in mea Bibliotheca Oeconomica, quæ juxta partes scientiæ Oeconomicæ erit disposita, collectos videbis. Scientiam vero rei familiaris recte administrandæ non tam ex libris, quam Collegio Oeconomico addisci posse, hæ potissimum sunt causæ. Primo, haud obstante insigni librorum Oeconomicorum multitudine, nullum adhuc habemus,

bemus, uti supra jam monuimus, qui hac in parte absolutus dici possit. Vel enim nimis concisi sunt, ac ad scientiæ Oeconomicae cognitionem haud sufficiunt, uti BECHERI *Flugger Haus-Bater*, LIBERTI *Adeliche Wirthschafft-Kunst* &c. &c. vel nimis prolixi, illis, quas pertractare debent, partibus impertinentia & aliena immiscentes, ita ut summa cujusque partis capita ex hisce haud addisci, ac memoriâ retineri possint, alias partes, quarum mentionem debuissent facere, silentio transeunt, plurimaque ad Oeconomicam haud pertinentia inserunt, ut in BOECLERI *Land-und-Feld-Schule*, FLORINI *Rechts-Flugem Haus-Bater*, HOCHBERGII *Georgicis curiosis*, GLOREZII *Land-Feld-und-Haus-Bibliothec* &c. videri potest, utpote qui de Juridicis, Medicis aliisque huc non pertinentibus materiis copiose ac fuse egerunt. Accedit, quod in libris Oeconomicis multa falsa reperiantur, quæ in Praxi minime succedunt, ita ut ille, qui hisce innititur, multum fallatur. Tales enim scriptores ex aliis multa experientia oppido contraria conscribunt, vel ipsi quædam fingunt, cum, examinatis circumstantiis, existiment, hæc necessario succedere, quæ ut certa & explorata referunt, vel inscii & inviti falsa libris suis inserunt, dum interdum levis animi homines talia ipsis persuadent, ac ut singularia arcana Oeconomica commendant. Et tandem, etiamsi præstantissimi libri Oeconomici adessent, Juvenes multo melius tamen rebus suis consulere, si vivi Præceptoris scholas visitarent, in libri enim lectione sæpius occurrunt dubia, ubi quis scire avert, annon etiam res succederet, si hoc vel illo modo tractaretur? à vivo vero Præceptore dubia eximi possunt, cumque machinarum instrumentorumque exemplaria, quæ à docente ostendi debent, ad meliorem cujusque partis cognitionem faciant, ac ille interdum auditores suos in agros

auf das Land ducere debeat, Theses etiam Oeconomicae multo melius memoriae mandentur, si earum explicationem & illustrationem quis audiat, quam si eas solum legat: quivis videt, pondere harum rationum motus, frequentationem Collegiorum Oeconomicorum lectioni librorum praefendam esse. Libros vero, finitis Collegiis Oeconomicis, optimo cum fructu legi & adhiberi posse, certissimum est. Absoluto enim hac ratione cursu Oeconomico, ac quodammodo thesin in doctrina domestica possidentes, facillime verum à falso secernere, ac si dubia quaedam ipsis sint obvia, statim à docentibus illorum resolutionem petere possunt, multoque majores progressus in Oeconomicis facere, ac se ad exercenda negotia domestica idoneos efficere. Asseverare haud vereor, eum, qui eâ ratione studia sua instituit, aliquot annorum usu accedente, majorem notitiam in Oeconomicis nacturum esse, quam si alius per longum temporis spatium rem domesticam exercuerit.

## §. XXVIII.

Ne vero tibi persuadeas, haec meas speculationes non nisi in meo natas esse cerebro, ostendam, quosdam doctissimos & clarissimos viros sententiae meae subscribere. MORHOFIUS in *Polyhist. Lib. III. Tom. III. p. 24.* inquit: *Oeconomicae doctrinae dignitas tanta est, ut ejus Professorem in Academicis constituendum ego quidem arbitrer, & clarissimus Professor Francofordiensis, JOHANNES CHRISTOPHORUS BECMANNUS in Polit. Parall. Cap. X. §. 10. p. 524.* inquit: *In Professionibus Philosophicis ne singularum vitia examinemus, desideramus Professorem Oeconomicae, qui non terminis aliquibus generalibus, sed ipsa Praxi Studiosos informet, & ad futuram rem domesticam praeparet.* Johann George Döhler in der  
Unter-

Untersuchung des heut zu tage überhand nehmenden Geld- und Nahrung- Mangels in septimo monito dicit: Auf Schulen ist schon die vorgefaste schädliche Meinung: ein Studirender solle sich gar auf kein Haus- Wesen legen, ja es sey einem Schüler schimpfflich, und am Studieren ver hinderlich, wenn er sich auf das Haus- Wesen legen, und solches mit angreifen soll. In allen Schulen wird der Virgilius in Bucolicis und Georgicis getrieben, aber wohl nichts mehr, als die Nomina Propria und das Latein explicirt, die Scansion der Verse und die Poetischen Phrasen angemerckt, aber die Realia aus den Bucolicis und Georgicis bleiben zurücke. Auf Universitäten wird noch weniger dran gedacht, außer daß die Physica und Partes Matheseos getrieben werden, die Oeconomica aber insonderheit gar nicht. Daher kömmt es auch, daß es hernach an Leuten mangelt, die man zur Oeconomie brauchen kan, § p. 27. Gleichwie aber aus Unverstand des Haus- Wesens viel Schaden un Unrath folget: also würde nicht undienlich seyn, der Jugend auf denen Schulen und Universitäten bey den Handwerckern, und selbst bey dem Bauers- Mann die Oeconomie zu erlernen und zu verbessern. Dominus LUDWIG, Professor Celeberrimus Halensis, dicit in notis d. cimi quinti capitis der Einleitung zu dem teutschen Münz- Wesen mittlerer Zeiten. Was COLUMELLA Cap. II. de re rustica sagt: Daß die Römer so schlechte Haus- Wirthe wären, käme daher, weil alle Handwercker auffer dieser Wissenschaft ihre Lehr- Jungen und Lehr- Meister hätten, solches möchte man auch noch immer iezund auf unsern Universitäten beklagen / dahero junge Leute oftmahls den Vorschlag gethan haben / eine bishero unerhörte Profession

anzurichten, unter welcher Leute gezogen werden, die einer Cammer oder einem Lande wohl fürzustehen wissen. Igitur bene faciunt Professores Philosophiæ Practicæ, ut quædam capita Oeconomica locis congruis pertractent, dum Politicam prudentiam proponunt, aut, quod melius, separatis lectionibus Oeconomicam tradant.

## §. XXIX.

Quartum inter monita hoc sit: Ut societas Oeconomica instituat, quæ statum Oeconomicum regionis promoveat. Prudentia rei domesticæ ad ἀκμην neutiquam perveniet, nisi quidam junctim ipsi excolendæ invigilent, novaque inventa ac detecta fideliter communicent. Ab aliis enim tale quid non fit, vel quod pluribus negotiis districti sint, nec tempus commodum habeant, vel quod ignari sint, quemadmodum studii hujus cultura suscipienda sit, vanâ simul decepti persuasionem, Oeconomicam ita esse excultam, ut nullas accessiones admittat, quodque sufficiat, si illi eo modo insistant, quo alii, vel quo majores processere. Et licet viri harum rerum periti novi quid detegant, aut excolant, per invidiam tamen id celatur, sicque proximi commodis ac salutis regionis parum consulitur. Quapropter Princeps, cui salutis regionis curæ cordique est, laudabili prorsus instituto societatem institueret, cujus membra inprimis subterraneorum, vegetabilium, rei mechanicæ ac commerciorum culturæ operam dent, nec quid temere prætermittant, unde in regione vel quid acquiri, vel conservari possit.

## §. XXX.

Qui subterranea excolerent, illis provincia, qua patet, esset peragranda, examinandumque, quâ ratione subterranea,

nea,

nea, quo cuncta mineralia, calcem, argillam, lapicidinas refero, inveniri, lucrumque ex illis capi, ubi metalla fodi, annon certæ terræ ad Porcellanæ confectionem inveniri ac præparari possint, annon in fluminibus margaritæ ac aurum fluviale *Wash-Gold*, reperiendum sit, an terra illa uliginosa, quæ Torf appellatur, reperiri, & ligni loco cremari possit, ubi varia ædificia ad conflanda vitra, ad præparationem nitri, vel officinæ ferrariæ extrui possent? Iisdem id daretur negotii, ut varias subministrant regulas, quâ præcautione opus sit, ut Metalli fossorum fraudibus obviam eatur, vel homines ad subterraneorum culturam alliciantur. Hi quoque examinabunt, quomodo quædam hominum artificio præparanda sint, ut coeruleus color, Indigo appellatus, qui ex peregrinis regionibus ad nos deportatur. *Vid. Cap. XCII. des Herrn von Schröder Fürstl. Schatz- und Rent-Cammer.* Hic & mentio Alchymistarum instituenda est, & disquirendum, num Principes ipsos fovere, fidemque illis habere debeant? Mihi negativa tutior videtur, quia ex Historiarum monumentis constat, plurimos horum fuisse impostores, qui postquam Principum marsupium egregie emunxerunt, tandem elapsi sunt, locoque auri, nihil nisi fumum vendiderunt. Existimo enim, veros adeptos, si qui dentur, malle artem suam celare, quam mancipia Principum in lucrum artis, quam profitentur, existere. Hæc societatis membra, quibus mineralium cultura demandata esset, subterraneorum historiam, utpote cujus adhuc indigemus, optime possent conscribere. MORHOF. *in Tom. II. Lib. II. Part. I. Cap. XXIX. §. 3. tanta est, inquit, vulgo scriptorum illorum farrago, qui Historiam mineralium descripserunt, ut omnia quis excussa crederet, si numerum aut pondus librorum spectaret. Sed plerique illorum sunt locorum communium scri-*

scri-

*scriptores, ac pauca quædam, & manuarum experimenta proferrunt, quæ ad notitiam mineralium intelligendam parum faciunt.*

## §. XXXI.

Quædam membra laudatæ Societatis accuratissime naturam regionis explorarent, sollicita, ubi pingue sit solum, vel sale, vel nitro imprægnatum, ac curarent, ne ulla gleba terræ sterilis & sine cultura relinquatur. *Vid. Desterreich über alles, wann es nur will, Sect. IX. p. 29. Vid. Cap. II. der ersten Probe des Herrn D. Leibs.* Hæc diversarum utilium herbarum, plantarum ac arborum plantationem tentent, ut Anisi, Fœniculi, Croci, Oryzæ, aliarumque ad tingendum necessariorum, quas ipsi in nostra regione colere, plurimisque sumtibus parcere possemus. Licet enim non ignorem, omnem tellurem non ferre omnia, omnemque terram suo animari genio, existimo tamen, quædam adhuc in hisce plantationibus cum fructu suscipi, multaque, quæ ex peregrinis regionibus accersimus, in nostris produci posse, uti in moris videmus, quarum plantationem Germania nostra centum abhinc & sexaginta annis ignoravit, cum jam multis in locis optimo cum successu proveniant. Pariter herbæ Nicotianæ cultura Europæ ante centum & viginti, & Germaniæ nostræ ante sexaginta annos, ignota fuit. Jam vero istius plantatio non solum in plurimis Germaniæ locis, sed & in Polonia, Turcia alibique optimo cum successu procedit, magnumque ex illius mercatura captatur lucrum, *vid. Desterreich über alles, wenn es nur will, p. 60. MARPERGERS neu-eröffneter Manufacturen-Hauß, BECHERS Polit. Discurs von Ursachen des Auf- und Abnehmens der Länder und Städte, Cap. III. MARPERGERS Geographische, Mercatori-*

*tori-*



corische Beschreibung von Preussen, BECHERS weise  
 Narrheit und nârrische Weisheit, p. 6. Hæc etiam mul-  
 tiplicationis frugum experimenta faciant, de qua materia  
 Dominus ABBAS de VALLEMONT Gallico sermone librum  
 edidit, quem appellat *Curiosités de la nature & de l'art*, in  
 quo multa collegit scitu dignissima. Varia experiri possent  
 e. g. solum sine fimo stercoreandi, terram sterilem sine nitro  
 imprægnandi, ac fertilem efficiendi, aliaque ejus generis, de  
 quibus multi multa scripserunt. Principes vero edicere  
 possent, ut hortulani singulis mensibus observationes suas,  
 quæ alicujus momenti essent, membris societatis communi-  
 cent, quo optima inde possent seligere. Arborum quoque  
 tum fructiferarum, tum silvestrium curam habere possent, ac  
 castanearum, mororum, amygdalorum plantationi operam  
 dare. Cumque plenâ Regni vegetabilis historiâ naturali,  
 Respublica literaria careat, ab instituto hujus societatis haud  
 foret alienum, si accuratam vegetabilium historiam, hæc  
 membra, quibus rei botanicæ cultura injuncta esset, con-  
 scriberent.

## §. XXXI.

Nec minus utile foret, si quædam membra ex hac sci-  
 entiarum Oeconomicarum societate rem mechanicam una  
 cum opificiaria excolerent, ac scrutarentur, quomodo ma-  
 chinæ ac instrumenta, non solum ad opificum usus necessa-  
 ria, sed & alia in commercio humano utilia inveniri, inven-  
 ta perfici possint, quæ e. g. in metallorum cultura utiles ma-  
 chinæ excogitandæ sint. Huc pertinent, quæ GEORGIUS  
 CASPAR KIRCHMAYERUS, P. P. Wittebergensis, in suo  
 Tractatu *Hoffnung besserer Zeiten durch das edele Berg-  
 werck*, dicit: *Man lehret und lernet auf Universitäten*  
 F auch

auch in spem futuræ oblivionis allerhand Wissenschaften, Künste und Exercitia, niemand aber wird neben andern darauf unterhalten, wie man die nervos rerum omnium gerendarum, Silber, Kupffer und andere Metalla mit ingenieusen Maschinen wegen derer häufig zufallenden Berg-Wasser, nachmahls durchs Feuer, im schmelzen, feigern, rösten etc. mit compendiösen Hand-Griffen vor allen Stücken fein rathsam tractiren und gewinnen möge, woran salus publica, zumahl in solchen Landen, wo Bergwercke floriren, hauptsächlich gelegen. Princeps itaque viro Matheseos peritissimo sumtus suppeditaret, quo itinere peregrinas regiones emetiri, ibique utiles machinas, quas considerat, delineare, & in patriam redux ad earum typum alias exstruere posset. Sumtus itineris utilitate, quam Princeps & tota Provincia inde reportarent, abunde compensarentur. Membra societatis, quibus mechanicorum cultura demandata esset, aliorum inventa, quæ in libris reperiunt, perlustrarent, ac primo in exiguis modulis tentarent, experturi, num in magnis successus sperandus sit. Hi focii etiam accuratam artium mechanicarum historiam conscribere possent, quale quid Vir Illustris THEVENOTIUS Gallus molitus est. Hac occasione non mihi temperare possum, quin duo, quæ diu optavi, proferam: Primo, ut insignis Mathematicus, qui non meris immerfus esset speculationibus, sed & Praxin Matheseos penitus intelligeret, Theatrum Mechanicum adornaret, ac in eo primum unamquamque machinam Historice describeret, qui inventor illius, quæ inventionis occasio, qualis successus fuerit; deinde Mathematice, ut unamquamque machinæ partem cum accurata delineatione distincte ac dilucide describeret, ita ut nudo intuitu illius structura possit concipi, ac interdum Politice de illa  
judi-

judicaret, e. g. de molendinis, quæ tibialia texunt, an Reipublicæ utile sit, tales machinas excogitari, nec ne? cum aliquot mille hominibus, panem, qui eos alere potuisset, suffurentur ac præripiant. Huic vero libro non tales inferendæ sunt machinæ, quæ ad eruditionis promotionem tendunt, ac curiositati inserviunt, sed illæ solum, quæ in vita familiari usum habent. Secundo optarem, ut tam Principes, quam privati, qui pinacothecas instruunt, varia diversarum utilium machinarum exemplaria congererent, quibus & suæ & communi utilitati velificari possent. Princeps inventores præmiis afficiat, quo & alii incitentur. Et licet quis machinam excogitaverit, rudem adhuc nec plane elaboratam, cuique, si in majori tentetur, minus respondeat successus, non tamen negligenda erit, sed inventores propterea æstimandi, quoniam inventis addere licet, aliusque fortassis tractu temporis illam penitus excolere potest, quod & ratione pinacothecarum observandum, in quibus & typi machinarum, nondum ad ultimum perfectionis gradum perductarum, recondi debent, cum videre liceat, plures res ab initio maxime rudes temporis spatio expolitas fuisse. Porro si in Architectura civili quid excogitatum sit à membris societatis, quod opportunum aut lucriferum sit, e. g. commodum genus fornacum, quales BOECLERUS in libro, quem appellat: *Furnologiam*, repræsentavit, aut opportunum genus scalarum, quales WEIGELIUS excogitavit, & quæ his sunt similia, etiam ab iis possunt proponi.

## §. XXXIII.

Quædam societatis membra studeant, quâ ratione commercia una cum operibus manufactis promoveantur; Huic labori illi inprimis idonei sunt, qui rerum commercia

respicientium peritissimi, nec tamen proprio lucro intenti. Hæc curam habeant, ne domesticæ merces in rudi materia & infectæ è regione exportentur, sed potius ab incolis propriâ operâ justum ad usum & comtius perficiantur. Quapropter illi, qui commerciis colendis destinati sunt, studeant, quo ex aliis terris artifices & mechanici omnis generis accersantur, luculentisque privilegiis invitentur, indigenæ vero ad addiscenda peregrina opificia incitentur, commerciaque celeritate postarum, propter necessaria literarum commercia, viarum securitate, & maxime fluminibus per cataractas navigabilibus redditus promoveantur. Hi quoque historiam commerciorum conficere possent, quæ utilissima materia ab eruditis nondum elaborata est. MORHOFIUS *Tom. III. Lib. III. §. 3.* hisce verbis utitur: *Deberet historia tam generalis, quam specialis omnium commerciorum consignari, quomodo vero hic labor suscipiendus sit, in sequentibus explicatur: Utile quoque esset notatas habere, quæ à mercatoribus solent adhiberi, mercium adulterationes, quarum integram historiam pertexere quis posset, si diligenter inquirat.*

## § XXXIV.

Numerus membrorum societatis, eorum annuæ pensiones, aliaque in thesi non facile determinari possunt, cum ipsorum capacitas, negotiorum moles, regionis natura, aliæque circumstantiæ merito sint considerandæ, ideoque recte Principis arbitrio relinquuntur. Ex diversæ conditionis hominibus hæc societas posset esse coacta, ac quivis sociorum sibi illam eligeret partem, ad quam naturali ferretur instinctu, cujusque gnarus esset. Singulis mensibus Præsidi ac Directori Societatis sua inventa ac consilia, addito rationum pondere & sumtuum specificatione, mitterent. Nomina quo-

quoque illorum, etiamsi non sint membra hujus societatis, qui svasores cujusdam rei aut inventionis fuerunt, actis societatis inferenda sunt, licet alias inferioris sortis homines sint, quo alii impellantur. Director semper eligat, quænam de hisce rebus, quas excogitarunt, aut invenerunt membra societatis, typis mandare debeant, nec ne; Licet ad eum finem societas instituta sit, ut communi bono inserviatur; nec tamen iniquum est, cum Princeps sumtus suppeditet, ut quædam arcana sibi retineat, nec illa divulgari patiatur. Princeps etiam libros, quibus ad instituenta experimenta opus habent, ipsis comparet. Hæc societas in eo à reliquis separata sit, quod non luciferis, sicut aliæ, sed lucriferis debeat dare operam. Qui perpendit, quæ egregia in Republica literaria ope societatum, ad promovendas scientias institutarum, per præterlapsum seculum detecta fuerint, ita ut verear, ne laude meâ ipsis partem gloriæ, quam jam diu nactæ sunt, detraham, is facile sibi persuadebit, & hanc societatem fore utilissimam, dum non otiosis speculationibus, sed practicis ac vitæ humanæ utilissimis foret intenta.

## §. XXXV.

Objicere quis posset, cui bono peculiaris instituetur societas, cum & reliquæ societates talia tractent, aut tractare possint? Respondeo, quod ad primum, sparsim tantum ac rarissime id fit, dum non rem domesticam promovere, sed novis inventis ac observationibus Studia Physica & Mathematica illustrare intendant. Cum autem Physica & Mathematica, uti in Dissertatione pluribus in locis dixi, illustrem rerum domesticarum scientiæ facem præferant, haud inficiandum, quod indirecte Oeconomicam promoveant. Quod

ad secundum, scilicet ipsos Oeconomicam colere posse, nego illud ac pernego, primo enim non tempus ipsis sufficit, cum aliis studiis occupati sint, ac fatis laborum sustineant, si in illis, quas excolunt, scientiis, singulare quid præstare velint, & secundo ea ad hunc laborem requiruntur ingenia, quæ sibi relicta, huc omnes convertunt nervos: Incertum enim est, an membra istarum societatum hisce quoque delectentur, aut se ad talia applicaverint, & hisce colendis idonea sint.

## §. XXXVI.

Quintum ac ultimum monitum est: Ut Princeps ministros camerales attentos esse jubeat, ut non tantum receptionis & dispensationis pecuniarum curam habeant, sed etiam, quâ ratione ærarium locupletari, & reditus provinciarum augeri queant. Tractatio enim reddituum Principis consistit in recta dispensationum distributione, ac in augmentatione reddituum, hoc est, in distribuendo & augendo. Tempore Henrici VIII. Regis Angliæ ministri tales à Parlamento sub nomine Courts of augmentation of the Revenues of the Kings Crowne ad regni reditus augendos alebantur, illique Cancellarius, vel Præses ac Assessores, cuncti juramento obstricti præficiiebantur: Juramentum Cancellarii tale erat: Jurare debes: Te sincere in tibi demandato Cancellarii munere gesturum, fidelia Regi præstiturum servitia, omni-que modo reditus Regis aucturum, nec quicquam, quod ad promovendam Regis utilitatem tendit, prudentem ac scientem omissurum, ita TE Deus juvet, & omnes Sancti! Latius hoc monitum extenderem, si plenâ rerum camera-  
lium notitiâ essem instructus, & instituti ratio id pateretur.

## §. XXXVII.

## §. XXXVII.

Hæc sunt, mi Lector, quæ in hac materia proponere volui. Si quid recte dictum, non mihi, sed summo Numini, omnis boni auctori, acceptum feres, si quid erratum, aut omis- sum, scias, me nec mortalium sorte exemptum, nec ab omni errore esse immunem. Utique nec animus fuit, cuncta, quæ de hoc argumento dici possunt, compilare. Interea Deo Ter Optimo Maximo ex intimo corde persolvo grates, quod conaminibus hisce benedicere voluerit, eumque sup- plex oro atque veneror, ut imposterum cogitatis, dictis fa- ctisque meis clementer aspirare velit!

## COROLLARIA.

*Oeconomica & Politica sunt duæ sepa- ratæ Disciplinæ.*

*Sunt quædam loca deserta & inexcul- ta in Germania, quæ excoli posse ex- istimo.*

*Studium Physicum sine Matheos au- xilio solide excoli non potest.*

*Non impossibile duco Oeconomicam in formam artis redigere.*

*Uti-*

*Utile foret, si negotia Cameralia in duo  
peculiaria distribuantur Collegia,  
alterum receptionis & dispensationis  
pecuniarum curam haberet, alte-  
rum vero redditibus augendis stude-  
ret.*

F I N I S.



*Coll. diss. A. 98, misc. 63*